

decem, petalis laciniatis; et Vahliam *Thunb.* (cujus certè species genuina est *Oldenlandia pentandra Retz.* que *Oldenlandia Smith in Rees. Cyclop.*) similem floribus pentandris, petalis indivisis, et capsule unilocularis dehiscentia, distinguendam placentis ab apice cavitatis pendulis solutis, aestivatione valvata calycis et habitu diversissimo.

Obs. II. A *Saxifrageis* transitus haud difficilis ad *Ribes* structura floris et ovarii admodum simile *Heuchera*, diversum stylo semilibido, fructu baccato, albumine densiore, funiculus umbilicalibus longis ad chalazam usque liberis et habitu. Attamen vel in eadem prorsus familia cum *Ribe* includenda, vel in proximo ordine (*Escalloneae*) disponenda *Escallonia Mutis.* (*Stereoxylon Raiz et Paron.*) et nonnulla genera inelita Novæ Hollandie, nec non *Anopterus Labill.* (et *Prodr. Fl. Nor. Holl.* 457.) cuius petala distincta, calyci inserta et ovarii capsuleque basis adherens. Sed *Anopteri* cum *Saxifrageis* affinitas mediante *Heuchera* in fructificatione saltem obvia, obstante quidem habitu omnino cum *Escallonicis* et nec *Cunoniaceis* nec *Saxifrageis* conveniente.

HEUCHERA RICHARDSONII. Tab. 29.

Heuchera calycis limbo inaequali obliquo.

Hab. On the rocky banks of rivers from lat. 54° to 64° north.

DESC. *Herba* acaulis, perennis. *Folia* radicaria conferta, elongato-petiolarata, cordata, diametro sesquipollicari, semiseptemloba, lobo medio majore, omnibus inaequaliter serrato-incisis, super scabra subter hævia, secundum nervos venasque primarias pubescens pilis brevissimis acutis, eglandulosa. *Petiolas* folio longior, tripliatis, pilosiusculus, scaber, antice canaliculatus. *Stipulae* laterales infra adnate, apicibus lingulatis scariosis subciliatis. *Scapus* simplex, erectus, pedalis—sesquipedalis, gracilis, teres, striatus, pilosiusculus, dimidio inferiore pilis acutis divaricatis glandulosis intermixtis paucissimis, superiore pube brevissima glanduloso-capitata copiosa pilisque acutis rarioribus. *Panicula* laxe thyrsoidæ, angusta, ramis alternis bracteis linearis apice bi-trifido subtensis, trifidæ pedicellis lateralibus 1-2-floris medie uniflora praecocior, divisuris singulis bibracteatis, bracteolis linearis subulatis glandulosopubescentibus.

Calyx monophyllus, campanulatus, irregularis, persistens, extus glandul. subsessilibus parvis copiosis tectus; *liubus* obliquus 5-fidus, laciniis obtusis obovatis magnitudine subequalibus sed ob fancis obliquitatem altitudine inaequalibus, duabus altioribus paribus impari demissiori, omnibus quinquenerviis nervis venosis, aestivatione imbricatis, duabus altioribus reliquas equitantibus.

Petala 5, ipsis sinibus calycis inserta, unguiculata, indivisa, brevè ciliata, vix calycis laciniis superantia, persistentia, altiora lamina cuneato-obovata, demissiora sub lanceolata, omnia trinervia nervis extus venosis, unguibus angustis linearibus.

Stamina 5, summo tubo calycis inserta, ejusdem laciniis opposita, petala vix superantia, persistentia. *Filamenta* subvelata, glabra, laciniis calycis altitudine proportionata. *Antheræ* incumbentes, brevè ovales, obtuse, loculis parallelo-continguis, longitudinaliter dehiscentibus. *Pollen* lateritium.

Pistillum: *Ovarium* semiinferum, uniloculare, placentis duabus parietalibus longitudinaliter adnatis prominulis, cum stylis alternantibus, polyspermis: *ovulis* indefinite numerosis concretis superficiem ventralem lateraque placentæ operientibus. *Styli* duo, subulati, glabri, altitudine staminum. *Stigmata* obtusa imberbis, apicibus stylorum vix crassiora.

Capsula semiæstera, dimidio supero breviore calyce aucto persistente cum petalis vix emarginatis et filamentis sepe antheris orbatis tecto, stylis rostrato, apice bilobo lobis intus dehiscentibus, unilocularis, placentis proportionatim auctis.

Semina numerosa, sessilia, ovalia, punctis elevatis acutis longitudinaliter seriatis aspera, altera extremitate obtusiore. *Testa* crasso-membranacea, fusca, facile separabilis. *Membrana interna* albumini arete adhesens absque chalaza raphe manifesta. *Albumen* semini conformatum, album, carnosum, molle, oleosum. *Eubrygo* minutus, subovatus albus ad albuminis extremitatem obtusiorem situs. *Cotyledones* brevissimæ. *Radicula* processu capillari terminata, centrifuga.